

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertationum Medicarum De Connubio Astrææ Cum
Apolline, Circa Medicinam Forensem**

De Inspectione Cadaveris In genere

Emmerich, Georg Emmerich, Georg

Regiomonti, 1710

VD18 1310747X-001

§. X.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8856

8
serviunt, mutuabimur Apollinem verò partes Medici defensus-
rū audiemus. Ut eò melius hæc tradantur, certū quendam ca-
sum de lethalitate Vulneris ac Contusionis Capitis Magistratui
quondam Lœbnicensi exhibitum, in controversiam postea
raptum, ac hinc indè agitatam, tandem à Facultate Medicâ
Regiomontanâ decisum hîc in medium adducemus, & ex
eodem quæstiones cum insequentibus responsionibus for-
mabimus sicque ea, quæ de Inspectionibus, vulgò Obductio-
nibus, minus quidem latino sed jam in vulgus noto, germani-
s impr. usitatissimo vocabulo, dici possunt, dilucidè, quan-
tum possibile, exponemus.

§. X.

Casus iste erat sequentibus in relatione verbis expres-
sus, & sub sign. ☉ huic dissertationi annexus reperitur, ex
quo sequentes elicimus quæstiones, quibus in genere quas-
dam præmittimus.

§. XI.

Quæritur I. in genere an necesse sit, inspectionem Ca-
daveris Occisi instituere?

Resp. Ne inultus maneat sanguis temerariè effusus, sac-
cer Codex Genes. 9. v. 6. Matth. 26. v. 52. Apocal. 13. v. 10. in-
jungit; hinc gladio armavit Magistratum Deus, ut vindex
sit, sanguinis præsertim temerè effusi ad Romanos 13. v. 4.
ast ne insons damnetur, omnis certè cura est adhibenda. Re-
ctissimè enim Consummatissimus Juris Consultus Strykius in
Programmate quodam Wittebergæ anno 1691. edito: Æque
interest Reipublicæ, ne rapiatur ad supplicium ille, qui mor-
tem non meruit, quam ne supplicio eximatur, cujus factum
ipse Deus sanguine piandum ab initio rerum censuit. Hinc
cum Lex naturalis nos obliget, ne in proprium corpus sæ-
viamus, multò minus alterius corpus quod ex eadem carne
&

